

*Guglielmo Ruffo fa trascrivere
e autenticare un privilegio di
Carlo Duca di Calabria del 1326*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Guglielmo Ruffo fa trascrivere
e autenticare un privilegio di
Carlo Duca di Calabria del 1326*

1327-05-16

In nomine Domini Amen. Anno incarnationis eiusdem millesimo trecentesimo vigesimo septimo, die sexto decimo mensis maii, decime inditionis apud Giracium. Regnante serenissimo Domino nostro Rege Roberto, Dei gratia inclito Ierusalem, et Sicilie Rege, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie et Forcalquerii, ac Pedemontis Comite. Regnorum suorum anno nonodecimo feliciter amen.

Nos Nicolaus Blasius iudex civitatis Giracii, Nicolaus de Sancto Paulo regius publicus notarius per totum Iustitiariatum Calabrie ordinatus, et testes infrascripti ad hoc vocati specialiter, et rogati. Presenti publico instrumento notum facimus et testamur, quod vir nobilis Dominus Guglielmus Ruffus de Sinopolo miles, ducalis cambellanus et familiaris, presens coram nobis ostendit nobis, et publice legi fecit, quosdam litteras ducales sigillo pendenti ducali noto, et consueto de cera rubea, sigillatos subscripti tenoris, et rogavit nos nostrum officium implorando, ut cum oporteat ipsum scriptum ipsarum Litterarum trasmittere ad ducalem Curiam, ut de originali ipsorum coram vicariis ducalibus possit facere plenam fidem, ne in mittendo ipsum originali possit sinistrum aliquod causaliter evenire, ipsos originalis litteras transcribi, et in forma publica redigi faceremus nos autem ipsi domini Guglielmi petitioni, iuste annuentes, et quia intererat sua, et vidimus ipsas Litteras non abolitas, non cancellatas sed sigillatas notorum, et consueto sigillo ipso ducali pendenti, ut dictum est; ipsas originales litteras nostra iudiciali autoritate interposita, de verbo ad verbum exemplari, et in publicam formam redigi fecimus per manus mei predicti notarii, nihil in eis addito, mutato, seu diminuto

que sensum immutare nisi forte littera, vel syllaba que sensum mutare non potest. Quarum litterarum tenor per omnia tales est

In cuius rei testimonium, et futuram memoriam et ut de predicto originali dictarum litterarum fides plenaria fieri valeat apud omnes, factum esse exinde presens publicum instrumentum scriptum, et subscriptum per me notarium, eundem signo meo solito signatum nostrum qui supra iudicem, et testium subscriptorum signis et subscriptionibus roboratum, dicti domini Guglielmi petitionibus et rogatu. Actum anno, die, mense, loco et inditione premissis. † Ego Fulco Luciferus de Geracio iudex civitate Giracii testor. † Ego Nicolaus Blasius qui supra iudex civitate Giracii testor. † Ego Nicolaus Storpheus testor. † Ego Thomasius de Sylvestro testor. † Ego Thomasius Luciferus testor. † Ego Rutilius de domino giracensis decanus testor. † Ego Nicolaus de Sancto Paulo regius publicus qui supra notario predictum, scripsi et me subscripsi.